

*Sacerdos infundit vinum, postea aquam
miscendam in Calice benedicit, dicens:*

DEUS, ✠ qui humánæ substántiæ dignitátem mirábíliter condidísti, et mirábílius reformásti: *(et infundens parum aquæ in calicem prosequitur)* da nobis per hujus aquæ et vini mystérium, ejus divinitátis esse consórtes, qui humanitátis nostræ fieri dignátus est párticeps, Jesus Christus, Fílius tuus, Dóminus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sáecula sæculórum. Amen.

*Sacerdos lavat manus, id est extremitates
digitorum pollicis et indicis, dicens: (Ps. 25, 6-12)*

LAVÁBO inter innocétes manus meas: et circúmdabo altáre tuum, Dómine:

Ut áudiam vocem laudis, et enárrem univérssa mirábília tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuæ et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, et cum viris sánguinum vitam meam:

In quorum mánibus iniquitátes sunt: déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingrèssus sum: rédime me et míserére mei.

Pes meus stetit in dirécto: in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto. Sicut erat in princípío, et nunc, et semper, et in sáecula sæculórum. Amen.

*Porrigit calicem ministro, qui infundit in eo parum vini,
quo se purificat: deinde prosequitur:*

CORPUS tuum, Dómine, quod sumpsi, et Sánquis, quem potávi, adhæreat viscéribus meis: et præsta; ut in me non remáneat scélerum mácula, quem pura et sancta refecérunt sacraménta: Qui vivis et regnas in sáecula sæculórum. Amen.